



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

4. Pertinax monachus, inobedientiam morbo fuit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

rentur parentes, rem furtum factam dominis suis esse redhibendam. Longè plures suummet crimen luunt, ut & crimen, & morbum suum lachrymis diluant. Quibus nihil est salubrius, quàm agrotare, ut si sunt vel temerarij, vel arrogantes, vel pertinaces, ipsis morbis molliantur.

Illustre exemplum huius rei recitat Cyrillus Monachus his verbis. Sed nobis rursus venit tempus ieiunij, beatum Sabam vocans ad consuetum secessum solitudinis. Opera pretium est autem nec illud pratermittere, quod contigit fieri in ea peregrinatione. Nam è Laura quidem egreditur hic vir diuinissimus, ut optandum ieiunij statum peragat in solitudine: Iacobus verò quidam, ex discipulis genere Hierosolymitanus, moribus arrogans, mente vsus sinistra, inita societate cum aliquot alijs monachis pari arrogantia apud eum lacum, qui septem habet ostia, de quo à me prius dictum est, aggressus est propriam Lauram constituere, cellas fabricans, & adem excitans oratoriam, & alia construens, quæ ad Lauram pertinent. Valde verò irascentibus fratribus, & adificium ulterius progredi non sinentibus, ille rei iniquitati adiciens mendacium, dixit, hac fieri de sententia Saba patris. Quod quidem cum audissent Monachi, destiterunt quidem prohibere eum adificare, sed non deserunt angi animo, cum viderent ante oculos suos eum non paruum Lauram partem pracidere. Sed existimantes, verum dixisse Iacobum, tacebant, patri expectantes reditum. Post completos autem illos dies ieiunij, ipse quoque diuinus Sabas ad Lauram reuersus, cum vidisset ea, quæ facta fuerunt, continuo quidem accersit Iacobum: paternè autem admonet, ut à cæpto abstineat. Neque enim id ex DEO esse, neque placere fratribus: quin etiam illi ipsi quoque esse valde periculosum, priusquam se ipsum rectè instituerit, & castigarit, illius fidei committi aliorum animas. Et sic quidem diuinus pater eum prius benignè & paternè admonet. Postquam autem vidit resistere Iacobum, & minimè cedere, paululum mutat à suâ consuetâ lenitate: Ego quidem, O fili, inquit, quod tibi existimo conferre, consulni, quoniam verò non vis parere, vide ne magno tuo damno discas eligere id, quod est utile. Hac cum ille quidem dixisset, profectus est in turriculam, Iacobus autem protinus sustinens tremorem totius corporis, & vehementi febre correptus, è vestigio cum sex totos menses decubisset, eo morbo vexabatur & premebatur. Interim verò cum

omnibus

IV:

Sur. 5. Decembr. ex Metaphrasi

280 Cap. XXVII. Undecima morbi causa, ut ad poenitentiam vocemur.
omnem spem vite amisisset, recordatus est sua in patrem Sabam inobe-
dientia, & vehementer rogat eos, qui aderant, ut & eum ita, ut erat
in lecto tollant, portentque, & ponant ad sacros beati Sabae pedes, ut eum
roget, ut des ei veniam sua inobedientia, & non datam veniam, eum non
sinat sic à vita discedere. Cum hoc autem factum esset, & in lecto de-
cumbens illuc translatus esset Iacobus; eum placide intuens, qui erat
verè mitis & misericors Sabas; nosti, inquit, frater, quis sit fructus
arrogantia; satis didicisti quam sit merces inobedientia. Ille verò
eum vix potuisset aperire labra (erant enim illa morbo quoque vineta
& prepedita) ignosce, inquit, mihi, o venerande pater, qui iam sum
excessurus. Ille verò protinus, Deus tibi, inquit, condonabit, o frater.
Cum sic dixisset porrexit manum, & manus illa ei vires attulit, quin
etiam ipse (o miraculum) surrexit. Deinde eum sanctus intemperatis
impertijit sanctificatis, & diuinum illud nutrimentum, rursus est con-
secutum corporis nutrimentum, alebaturque, & conualecebat, fortiusque
& robustus mirandum in modum cernebatur ab omnibus, & miracu-
lum erat propemodum oculis incredibile. Homo qui tam graui & diu-
turno erat modo maceratus, & qui ne labijs quidem uti poterat, tan-
tum abest, ut pedibus; tantillo momento temporis, & cibum sumpsit,
& verba fecit, & à lecto facilius surrexit, quam qui erant sani. Ille
autem hanc sibi imponit poenam sua inobedientia, quod ad noua illa ad-
ficia non sit amplius reuersurus.

V.

Apud Ros-
vveid: lib. 2.
de vitis Pa-
trum.

Ne quis autem existimet superbis dumtaxat ac grandiori-
bus prodesse morbos peccatoribus, habent & pij homines, quod
expiant. Quae de causa & illis morbi sunt in medicinam. Re-
fert Ruffinus Aquileiensis presbyter, in vita S. Ioannis Eremitae,
qui in Thebaide vixit, & multa mira fecit, è fratribus vnum ter-
tiana grauissimè vexatum, venisse ad illum, rogasseque homi-
nem Dei, ut febrim à se depelleret. Cui Sanctus respondit: Rom
tibi necessariam cupis abire. Ut enim corpora nitro, vel alijs huius-
modi lenimentis abluuntur à sordibus; ita anima languoribus, alijsque
huiusmodi castigationibus purificantur. Et postea quam de his nobis
multa per doctrinam mysticam disseruit, benedicens tamen oleum de-
dit, quo perunctus ager omnem continuo abundantiam fellis euomuit,
& sanissimus redditus, pedibus suis ad diuersorium redijt. Duplicem
hic Eremita medicinam aegrotis praebuit, in oleo corpori; in
verbo